CONGREGATIO PARTICULARIS EPISCOPORUM PRIMA

Feria secunda 20 septembris 1909 ante meridiem.

Recitata precatione ad Excellentissimo Præside, utraque relatio tum gallice tum anglice scripta de congregatione serotina sabbati ultimi adprobata est, Patribus tamen petentibus ut e relatione gallice concinnata delerentur voces " post longam disceptationem " Utrum videlicet datis litteris an misso nuntio telegraphico subnitteretur regi et imperatori Britanniæ testimonium fidelitatis et amoris erga Suam augustam Majestatem). Conventum quoque est ab utroque secretario confectum iri relationem unam de congregationibus episcoporum in archivo conservandam.

Excellentia Sua Reverendissima notum facit venerando cœtui hesterna die per telegraphum reverendissimum Thomam-Josephum Shahan, rectorem Universitatis catholicæ Washingtoniensis, nomine dictæ Universitatis, fausta omnia adprecatum esse Patribus et plenario Concilio. Proponente Marianopolitano, consentientibus Patribus, Excellentia Sua Reverendissima responsum Concilii gratesque recitet telegraphico filo mittendos et præsenti relationi adnectendos.

Quo tempore quove ordine sessiones solemnes habendæ sint et exequiæ pro defunctis episcopis et peregrinatio Synodi ad venerabile Sanctuarium Sanctæ-Annæ de Bello-Prato, jam indictum in Manuali practico rursumque confirmatum est simul cum designatione Antistitum qui solemnibus hisce in cœtibus concionaturi sunt.

Placet etiam ut tres epistolæ mittantur a Patribus Concilii, una ad Sanctitatem Suam Pium Papam decimum, altera ad Sacram Congregationem Concilii et Eminentissimum Cardinalem eidem Congregationi Præfectum, et tertia ad Eminentissimum Præfectum S. Congregationis de Propaganda Fide. Proponente Campivailensi, Patres rogaverunt ut Excellentia Sua Reverendissima ipsa provideat litteris exarandis ; quibus benigne annuit.

Archiepiscopus Quebecensis non renuit scribere pastoralem epistolam Patrum Concilii ad clerum fidelemque populum Cana-